que item in locum ſuum dimittet vicarios [1], ſed locorum defenſoribus & cohortalibus ſuis ad id miniſterium obeundum utetur. §. 2. Sicubi [2] vero & militibus opus erit, ex iis locis milites, ubi neceſſitas poſtulat, opitulari jubebit, atque hi propriis iſta ſumptibus expedient, neque ſubditos damnis involvent, aut gratis ulla ex parte ſumptus facient, ſed tam ipſe his abſtinebit, ſumptum de ſuo faciens, ubicunque tandem erit, quamvis ad aliam ipſum proficiſci regionem jubeamus, quam etiam adſeſſor ejus, & reliquum famulitium, ſive ex proconſularibus ſive ex militibus, quamvis ſervile etiam aut ſubjugale [3] aliquod omnes hoſce ſequatur, neceſſitatem habentibus (ut prædiximus) militibus & quicunque alii ibi locorum habitant, ſcholares forte aut domeſtici, ut illius juſſionibus obtemperent, ſinguli & ſubſtantiæ ſuæ periculum reveriti: damus enim ei poteſtatem, ut hæc illis adimat [4] niſi ejus juſſis pareant, propterea quod eum qui hunc magiſtratum obtinet, velimus formidabilem ſubditis, & venerandum exiſtere. Etenim ſive [5] miles, ſive proconſularis, ſive ſcholaris, ſive domeſticus per cauſam illius juſſionum damni aliquid collatori noſtro irrogaverit, conveniens eſt, ut ipſe hoc ex iſtius annonis proprio periculo recepto, injuria affecto medeatur. Poſtremo neque ulli eorum qui ex hac urbe [6] eo commeant, collatores noſtros injuria tentari permittet. §. 3. Sed & curſum [7] publicorum equorum illæſum conſervabit. *Nihil enim ab ipſius juriſdictione excipimus.* Et ſi quis ex quocunque judicio ad eam regionem commeantium injurius erit, & ultra deputatum & conſtitutum exegerit, hunc perſequetur.

CAP. VIII.

CUram autem geret etiam civitatis, & eorum [8] quæ ad frumentationem [9] publicam pertinent, & ſitonica appellantur, operumque [10] ejus, & procurabit, ut ſecundum legem noſtram ratiocinia [11] conſcribantur, & tam Tamiaca quam civilia inſumantur. Et ſi [12] quem eorum qui ſolitas illas juſſiones inſinuare conſueverunt, nempe quod aquarum aliquis ductus impediat, & quod quæ muros concernunt diffundantur, aut quia pontes aliqui ſint per provinciam, aliave itinera, aut alia denique ejuſcemodi exiſtat occaſio, prout improbe olim fuit in uſu habitum, penitus ipſum provincia expellet, nec permittet ei ut vel juſſionem ejuſmodi inſinuet, vel per hanc cauſam quidquam omnino lucri capiat. Nam ſi nobis viſum fuerit ejuſmodi inſpectionem operum celebrari, ſacra pragmatica forma uſi ad eum qui hunc geret magiſtratum, communicato præterea de his cum throno tuo conſilio, rem ipſam nos diſponemus, ne cui facile ad ejus generis pecuniarum exactiones pateat aditus & acceſſus. Omnia quoque quæ audierit *improba*, prohibebit is qui hoc magiſtratu defungitur. Quod ſi vehementiore aliquo & aſperiore opus erit, certiorem ea de re faciet tam excellentiam tuam, quamglorioſiſſimum præpoſitum, & alios celeberrimos magiſtratus, quibus ad talem rem conficiendam aliquid adeſt facultatis: nos denique ipſos, & nos illi, quid facto opus ſit, explanabimus. §. 1. Titulos [13] vero prædiis apponere per provinciam cui præſidet, continentes certorum hominum appellationem, excepto nomine majeſtatis Imperatoriæ aut Tamii, hoc eſt ærarii, in tantum prohibebit, ut patrimonium eorum, qui tale quid perpetrare moliantur, in publicum redigat, & [14] manus [15] abſcindat eos imponentibus, ſi præſentes forte id auſi fuerint: ſi vero procuratores abſentium, ingentibus illos tormentis ſubdet. Titulos certe quicunque tandem affigere auſi fuerint, ſive præſentes, ſive abſentium procuratores, detractos protinus ad [16] capita eorum qui affixerunt, infringet: ſciens fore, ut ſi id factum cognitum neglexerit, ipſe bonorum ſuorum publicationem ſentiat.

CAP. IX.

JUri dicundo cum ſumma animi intentione & cura incumbet, neque (ut hactenus) ruſticanos [17] homines ſinet injuriis opprimi. Neque amplius negotia nobis hic faceſſent Cappadoces, magno cum clamore ſupplicantes & lamentantes, ſed ipſe judicem ſe illis & diſceptatorem præbebit. Nam ſi quem huc advenientem viderimus, qui non prius apud ipſum calamitates ſuas lamentando explicuerit, hunc nos denuo cum increpatione mittemus in provinciam, propterea quod relicto [18] magiſtratu provinciæ, continuo ad nos decurrit. Si vero cum eos qui injuriam intulerunt, convenirent, ipſe commeſſationibus deditus & luxuria perditus, illorum ſe orationibus non accommodaverit, ſed ſupplices plorare permiſerit, hique ad nos cogantur decurrere, & maxime [19] ſi mulieres ſint, noſque edocti fuerimus, quod hi quidem adierint, ille vero injuriam ultus non eſt, protinus negotium ut ſuſpectum [20] habebimus, quaſi propter lucrum, vel per gratiam, vel aliquorum obſequium factum, & nos ipſos illi prorſus opponemus, & cum triplicem magiſtratus functionem gerat, tripliciter quoque [21] illi reſiſtetur, tam ipſo jure, quam nobis, & legibus eum oppugnantibus.

§. 1. Quæ ipſum reveritum, memoria item repetentem præcepta noſtra, quæ illi una cum codicillis magiſtratus dabimus, (appellabant autem ea majores Mandata [22] Principis) convenit omnia ſecundum legem noſtram agere utentem in cognoſcendo æquitate [23], in rebus gerendis puritate, ubique colentem juſtitiam [24], qua nihil inter homines unquam extitit robuſtius aut pulchrius, quodve Deum & imperatorem placare conciliareque magis poſſit. Talis enim ipſe cum ſit, ita noſtro quoque teſtimonio comprobatus: volumus ut ſolus omnia in provincia conficiat, neque cauſis audientiam alio quopiam præbente, neque nobis facile vel in eam venturis ſententiam, ut alicui alii haſce delegemus, vel occaſione cohibendarum violentiarum, ſeu quacunque alia de cauſa emiſſuris aliquos: ultra hoc, quod tametſi tale quiddam vel ſacris noſtris formis, vel ex magiſtratuum juſſionibus hactenus factum eſt, omnibus id vacaturum ſit modis, ipſo totius provinciæ adminiſtrationem ſuſcipiente, neque ulli omnino, ut acceſſum eo habeat, permittente.

CAP. X.

POrro [25] autem hunc quoque magiſtratum, prout [26] proconſulum proprium eſt, inter [27] ſpectabiles ponimus, appellationeſque [28] ab ipſo tranſmiſſas, tuam excellentiam volumus una cum glorioſiſſimo quæſtore ſacri noſtri palatii in forma & habitu conſultationum diſceptare. Si qua [29] vero alia in Cappadocia cauſa minor aureis quingentis per provocationem ſuſpendatur, ſive noſtro ſive alicujus magiſtratus juſſu datus judex fuerit, qui tamen non ſit ſpectabilis: huic ſpectabilis ipſe proconſul in forma ſacri conſiſtorii & vice ſacri auditorii accommodabit audientiam: ſiquidem & hoc illi jus addimus, decoramuſque illi magiſtratum tam amplo privilegio, quantum nullus in hunc diem in Cappadocia obtinere viſus eſt. Eſto igitur juſtus & elato animo, & tam nos [30] quam legem præ oculis habeto: cognoſcitoque, quod ſi ſtrenue iſta exequetur, longiore [31] tempore in hoc officio permanebit, & major ipſum alius forte magiſtratus excipiet. Cæterum ſi noſtris juſſionibus neglectis potentiores aliquos, non legem aut nos colat & veneretur: tum primo quoque tempore iis, quæ in ipſum collata fuerunt, excidet [32], tum de cætero inter condemnatos habebitur, indignus noſtro viſus judicio.

CAP. XI.

ADulteria [33] vero & raptus virginum, & immoderatas illicitaſque [34], & augendæ rei ſuæ cauſa comparatas circumſcriptiones, neque non homicidia, & ſi quid ejuſmodi delictorum eſt, ita acerbe punito, ut [35] paucorum hominum ſupplicio omnes reliquos continue caſtiges, eſtoque ſecundum legem exquiſitus delinquentium caſtigator, neque enim inhumanitas hoc, ſed potius ſumma quædam humanitas eſt, cum multi paucorum animadverſione ſalvantur. Quod ſi quem hoc nomine in crimen vocatum ſuſtineat, qui vel cinguli, vel dignitatis, vel ſacerdotii, vel ejuſmodi alio prætextu ſperet ex illius ſe manibus ereptum iri: certo ſciat quod noſtro judicio indignus videbitur. Nemo enim quacunque potentia ſua fretus, quodcunque alienum prætendens patrocinium [36] in talibus delictis ſeveritatem legis effugiet. Quin potius ſi quis talibus ſe patrociniis auſus fuerit immittere, ſimilem cum delinquente pœnam, & ipſe ſuſtinebit: idem cum ſit, ipſum aliquem delinquere, & eum qui talia peccavit & deliquit, velle de manu legis eripere [37]. §. 1. Subjicietur autem legi & deſcriptio [38], quæ ſignificet, quid ipſum, eoſve qui circa ipſum ſunt, e publico capere: quid item vel occaſione codicillorum dare, vel ſacratiſſimæ Auguſtæ conjugis noſtræ piæ domui inferre conveniat: trifariam videlicet inferendis iis *quinquaginta libris auri*, prout jam inde ab initio & in hunc usque diem obtinuit. §. 2. Et ſubditis noſtris (id quod ſæpe diximus) pure utetur, quæ res ſummo a nobis ſtudio habita effecit, ut [illegible] magnas etiam [illegible] bellis, [illegible] duxerimus, & Vandalos, Alanos [39], Mauritanos ſubegerimus, & totam Africam [40], inſuper & Siciliam recuperaverimus: ſed & bonam ſpem habeamus, quod Deus nobis annuet, ut & cæteras gentes [41] quas [illegible] cordia ſua Romani amiſerunt, uſque ad utrumque Oceani terminos tenerent, iterum ditioni noſtræ adjungamus, quos nos divino freti auxilio, ad meliorem ſtatum redigere properamus: neque quidquam detrectamus eorum quæ vel ad extremam pertingunt difficultatem: vigiliis ſimul, & inediis, cæteriſque laboribus, jugiter pro ſubditis noſtris, ultra quam humanæ naturæ modus patitur, utentes. Perlegere etiam mandata noſtra, quæ illi dabimus una cum codicillis magiſtratus, quemadmodum ante diximus. Et ſi quidem omnia ſecundum illa peregerit: & admirabilis futurus erit, & [illegible] imperio.

EPILOGUS.

† Hæc igitur omnia quæ per hanc exprimuntur legem cognoſcens excellentia tua, & prædictas annonas hujus officii throno præbere & ita ipſum [illegible] amplum effectum, ut collati modo in ipſum floris & dignitatis cupiditate, multi merito hunc conſequi affectent [42].

TIT. X.

DE DESCRIPTIONE [43] QUATUOR [44] PRÆSIDUM ARMENIÆ.

NOVELLA CONSTIT. XXXI.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſimo ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

PErperam effuſæque [45] poſita, ſi ad competentem perveniant ordinem, & belle diſpenſentur: aliæ propemodum res apparent, ſpecioſæ pro turpibus, ornatæ pro incultis, articulatæ diſtinctæque pro incompoſitis prius & confuſis. Quod cum & in Armenia admiſſum deprehenderimus, putavimus & ipſam ad congruentem quandam & unam harmoniam colligi debere: quo magis ex bene conſtituta ejus moderatione & competentem illi robur addamus, & decentem imponamus ordinem.

1 Julianus c. 87. 2 Julianus *ibid.* 3 Subjugalium nomine jumenta intelliguntur. 4 Præſides juſta de cauſa apparitores ſuo officio poſſunt privare. 5 Pœna ſcholaris & domeſtici proconſuli non obtemperantis. 6 Conſtantinopoli, *Julianus.* 7 Curſus publici cura ad præſides etiam pertinebat. addit & hoc Julianus de hoc proconſule Cappadociæ, veredorum diſpoſitiones ſub juris ejus diſtrictione eſſe. 8 Julianus, *ibid.* 9 *d. l.* 1. §. 11. *ff. de offic. præf. urb.* 10 *Nov.* 24. *c.* 3. *Nov.* 25. *c.* 4. §. 1. *l.* 7. §. 1. *ff. de offic. proconſ.* 11 Ratiocinia, λογισμοί. 12 Julianus *c.* 88. 13 *Novell.* 28. *cap.* 5. §. 1. adde *tit. Cod. de his qui potent. nom. tit. &c. &, ut nemo* [illegible]

[illegible]

CAP.

CAP. I.

UNde quatuor [1] Armenias fecimus; Unam [2] quidem interiorem, cujus metropolis [3] piæ appellationis noſtræ cognomine exornata eſt, prius Bazanis ſeu Leontopolis dicta, quam etiam proconſulatu honoravimus, cui magnificentiſſimus Vir Acatius præfuit, magiſtratu inter ſpectabiles relato, omnibuſque illi traditis, quæ proconſulatum habere convenit. Nam & ſtola ipſum adornavimus *proconſulari, quæque ad iſtas res pertinent, ea ut habeat, conſtituimus,* & urbes [4] illi adſignavimus, Theodoſiopolim, quam etiam prius habuit: Satalam, & Nicopolim. Colonia quoque ex prima (ut ante vocabatur) Armenia aſſumpta: item Trapezunte, & Ceraſunte [5] ex Polemoniaco prius dicto Ponto: his partim a clariſſimo provinciæ præſide: partim a ſpectabili moderatore ſeparatis: in ſeptem omnino urbes, & quæcunque circa ipſas in proximo ſunt loca, tota provincia redacta. §. 1. Secundum [6] vero ordinem tenere juſſimus eam Armeniam quæ ante prima dicebatur, in qua cæteras præcedit [7] Sebaſtea urbs, attributa illi, & Sebaſtopoli, quam prius quoque habuit, & inſuper Commana [8] ex Polemoniaco prius Ponto dicto: & Zela ex Helenoponto: neque non Briſa: ut ea provincia quinque [9] contineatur urbibus, officio [10] quod Correctorium eſt, in priſtina forma relicto, neque præſide ejus majore aliquo nomine condecorato, ſed ipſo in eodem quod prius habuit, derelicto.

§. 2. Ad hæc tertiam [11] Armeniam inſtituimus, eam quæ prius ſecunda dicebatur, in qua principatum tenet Melitena [12] urbs antiqua, urbs inſignis, in pulchro ſolo, clementique cœlo poſita, neque multum diſtans a fluentis Euphratis fluvii. Hanc nos in præſentia & augendam, & ad formam ſpectabilium [13] traducendam putavimus. Præſidem quoque hujus comitem [14] Juſtinianeum nominandum, dandoſque ipſi pro annonis ſolidos 700. ejus adſeſſori ſolidos 72. & cohorti ejus ſolidos 360. & ut omnia habeat quæ ejuſmodi thronorum propria ſunt. Et qui prius cohortales nominabantur, tum omnia faciant quæ etiam prius, & maxime circa publicam exactionem occupentur: tum ad Comitianorum appellationem tranſeant, perinde omnibus eis conſervatis ac ſi cohortales exiſterent. Urbes [15] vero ei partim Arcam & Arabiſſum, partim Ariaratheam, & alteram Comanam (quam etiam Chruſam [16] appellant) & Cucuſum ſubdidimus, quas & prius habebat e ſex omnimodo conſiſtens urbibus. §. 3. Conſtituimus autem & quartam [17] Armeniam, quæ prius non in forma provinciæ continebatur, ſed e gentibus erat & ex multis barbaricis colligebatur nominibus, Trophaëna [18], Anzethena [19], Ophena [20], Aſteanea [21], Balabithenaque dicta [22], & Satrapis ſubdita. Id vero nomen [23] magiſtratus neque Romanum, neque majorum noſtrorum, ſed ex altero imperio introductum fuit: exornavimus igitur & illam civili magiſtratu & forma, tam civili ibi magiſtratu inſtituto, quam Martyropolitanorum [24] illi urbe, & Citbariza [25] caſtro addito. Conſiſtatque ipſa in forma ordinariorum magiſtratuum Conſularis a nobis facta: ut cum quatuor ſint Armeniæ, duo quidem magiſtratus exiſtant ſpectabiles, nempe alter proconſul, alter comes: & primæ quidem Armeniæ proconſul, tertiæ comes præeat: ſecundæ vero & quartæ ordinarii [26]. Et quia ſummo a nobis ſtudio cautum eſt, ut appellationes intra quingentorum ſolidorum quantitatem non ad hanc almam deferantur urbem, ſed ad proximos ſpectabiles magiſtratus: propterea diſponimus, ut appellationes quæ quidem ex ſecunda Armenia procedunt, hoc eſt, in qua Sebaſtea urbs eſt, hæ ad Armeniæ primæ præſidem, hoc eſt, proconſulem, deferantur: quæ vero ex quarta moventur Armenia, hæ intra dictam quantitatem ad tertiæ Armeniæ comitem: *qui nempe Melitenæ reſidet*, deveniant.

CAP. II.

HIs ita a nobis ordinatis, inſuper illud etiam determinare juſtum putamus, ut *Primæ Armeniæ* talis vir præficiatur, qui pro amplitudine ſua, & ſpectatiſſimo jam erga nos miniſterio, magiſtratus hujus tam juramento, quam excellenti majeſtate dignus ſit. At cum Thomam magnificentiſſimum virum aliquot jam in Armeniorum regione officiis defunctum, & alioqui frugi hominem eſſe, & nobis *absque* [27] *fuco* ſemper inſerviſſe, & modo quoque inſervire deprehenderimus, promovemus ipſum ad hujus officii adminiſtrationem, ut non ſolum prædicta a nobis forma ad tempus huic provinciæ præſideat, ſed etiam aliis provideat, quæcunque ei vel per ſacra commonitoria commiſimus, ſive in provincia quam ei tradidimus, ſive in aliis: quod inquam fecimus, ſacris ad ipſum compoſitis commonitoriis de *multis* & diverſis actibus quos ipſum & in aliis regionibus ad effectum deducere æquum eſt. §. 1. Quæ vero ad ſacerdotia [28] ſpectant, ea (ut ſæpe diximus) volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem ſuſcipiente: ſed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item metropolitanis in ſuo permanentibus ordine: ut quantum ad ipſa nihil penitus innovetur.

CAP. III.

ILlud ſane in confeſſo eſt, ex quo *tertiæ Armeniæ* Comitem non tantum civilem, ſed etiam militarem magiſtratum fecimus: neceſſe habere etiam milites qui in ea ſtationes agunt, ut huic ſuppoſiti ſint: licentia illi præbita, ut (quemadmodum militaribus permittitur magiſtratibus) & nomine quemque ſuo evocet, & inquirat, & de ipſorum annonis diſpiciat, & ſupplicio eos perſequatur, ſi quando injuſte egerint: neque committat ut milites in ſubditos noſtros injurii ſint. Quod ſi quid flagitioſius perpetrent, ad inſtar criminalium cauſarum audientiam præbeat, tametſi milites exiſtant, omnia denique agat, quæcunque militaribus attributa ſunt magiſtratibus. Et quemadmodum comiti Iſauriæ [29] & Pacatianæ Phrygiæ [30], & inſuper Lycaoniæ [31], Piſidiæ [32], ac Thraciæ [33], prætoribus militares etiam copias ſubdidimus: ut æque & ipſe non ſolum ad res civiles cohortem, ſed etiam in copias militum poteſtatem habeat & imperium, & cum ſumma auctoritate & amplitudine tam militibus quam paganis facienda præcipiat, omnia agens quaſi uno aliquo officio exiſtente. Inque unam hanc rem providentiam conferat, ne quid per provinciam admittatur flagitii, ſed & ut admiſſum competenter coërceat. Neque hanc illi poteſtatem in ulla omnino perſona, quæ in provincia ſit, detrahimus, ſive paganica ſive militaris, ſive tamiaca ſit: ſub æquabili enim & perpetua pace noſtros tueri ſubditos volumus, non pro diverſitate perſonarum inducentes legum contemptum.

EPILOGUS.

Quæ igitur nobis placuerunt, ea ſecundum deſcriptionem quatuor Armeniarum, & maxime tertiæ, cujus occaſione præſentem ſacram legem tulimus, jam inde in omne reliquum tempus excellentia tua cuſtodire ſtudeto: omnibus quæ ſingulis annis dari juſſimus, per particulares deſcriptiones thronorum tuorum conficiendis [34].

TIT. XI.

NE [35] QUIS [36] MUTUUM DANS AGRICOLÆ, TERRAM EJUS TENEAT, ITEM QUAM MAGNAS USURAS CREDITORES AB AGRICOLIS DEBEANT PERCIPERE.

NOVELLA CONSTIT. XXXII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Agerochio [37] *clariſſimo præſidi Æmi* [38] *montis Thraciæ.*

PRÆFATIO.

REm duram, & quæ omnem longe impietatem & avaritiam ſuperat, communi lege quaſi medicina quadam curare nobis viſum eſt, quæ non in præſenti tantum neceſſitate, ſed per omne deinceps ævum ſuo in repub. munere defungi queat: comperimus enim nonnullos in provincia, cui præſides, non dubitaſſe captato ad hoc de induſtria ſterilitatis frumentariæ tempore, ſub modica admodum menſura frugum mutui cum aliquibus contractum celebrare, & ex eo univerſam illorum terram ad ſe recipere: ut plerique ea occaſione ruſticorum diffugerint, plerique etiam fame [39] perierint, & tetra quædam lues ac contagio exorta ſit, in nullo pene barbarica incurſione inferior.

CAP. I.

SAncimus [40] igitur, ut quicunque agricolis quantamcunque menſuram quorumcunque aridorum fructuum crediderint, ſi ab his receperint, citra ullam exceptionem hæc illis reſtituant, nemine prorſus audente per cauſam prædictorum mutuorum, ſive ſcriptura interveniente, ſive ſine ſcripto celebrata ſint, terram [41] penes ſe detinere, octavam [42] duntaxat modii partem in ſingulos modios [43] per integrum annum uſurarum nomine ferentes, ſi fruges mutuo datæ erunt: ſi vero pecunia numerata, in ſingulos [44] ſolidos ſingulas annuas [45] ſiliquas. Cæterum de reliquo contenti creditores octava modii parte in ſingulos modios per annum, aut quantumcunque maneat, pro portione crediti, aut ſiliqua: omnino reſtituant, ſive terram, ſive aliud quiddam, boves forte aut oves, aut mancipia, pignori ceperint. Atque hæc lex omnibus humanitatis & pietatis de ſe ſpecimen præbeat, & tam egenorum neceſſitati medeatur, quam creditoribus nonnihil afferat ſolatii.

EPILOGUS.

† Quæ itaque nobis placuerunt, ea claritas tua effectui finique tradere ſtudeto, ſcituro creditore, quod ſi hæc contra facere aliquid auſit, exactione cadet; & qui mutuum accepit, quive injuriam pertulit, ex eo ſolatium habebit, quod tum ipſe a faceſſendo negotio liberatus ſit, tum creditorem in rebus ſuis jacturam pati videat. Dat. 15. Kal. Jul. *Conſtantinop.* BELIS. V. C. CONS.

1 Ex duabus Majore & Minore, *tit. C. de off. mag. mil.* 6. Plin. 8. 9. 2 Prima Armenia. 3 Armeniæ primæ & interioris metropolis olim Bazanis ac Leontopolis, hodie Juſtinianea. 4 Urbes Armeniæ primæ interioris. 5 Ammianus 22. & Ceraſus, unde advexit hujuſmodi poma Lucullus. 6 Secunda Armenia. 7 Sebaſtea, metropolis Armeniæ ſecundæ, dicitur & σεβάστη & σεβαστία Stephano *libro de urbibus.* 8 Commana duplex: una, in Polemoniaco: alia, quæ & Chruſa dicitur. *J. hic.* 9 Urbes ſecundæ Armeniæ. 10 Καὶ τὴν ἀρχὴν, ἡγεμονίαν ὥσαν καταλιπόντες. Scrimger. Senſus eſt, Moderatorem Armeniæ ſecundæ, correctorem, ut olim, appellari. 11 Tertia Armenia. 12 Melitena, metropolis tertiæ Armeniæ [illegible]

[illegible]

[illegible] *vell.* 24. 33 *Novell.* 26. 34 Dat. 15. Kal. April. Conſ. Beliſ. *Julian.* i. e. anno 536. 35 Pertinet hæc conſtitutio ad agricolas Thraciæ, ſequens 33. ad Illyrici. *Goth.* Ad hanc & ſeqq. duas vide Rittershuſ. *part.* 3. *cap.* 10. Caſpar Roderic. *de reditibus* 1. *quæſt.* 13. *num.* 49. putat hos non fuiſſe in uſu, vel quod non diu uſitatæ fuerint, poſt obitum Juſtiniani afflicto undique Imperio. *Anſ.* 36 De his qui pecuniam credunt agricolis. *Index Reginæ apud Cujac.* Porro integra hæc conſtitutio refertur apud Julianum *in fine.* 37 Agerochii vox tria ſignificat, [illegible] Tzetzes. adde Heſych. in [illegible] 38 [illegible] Scrimg. 39 Mortis gra- [illegible]

[illegible]

TIT.

TIT. XII.
DE HIS QUI MUTUUM DANT AGRICOLIS[1].
NOVELLA CONSTIT. XXXIII.
Imp. Juſtinianus Auguſtus Dominico Præfecto prætorio per Illyricum.

PRopter avaritiam creditorum qui anguſtia temporum abutentes, terrulas infelicium agreſtium ſibi adquirunt, pro pauco frumento omnem illorum ſubſtantiam retinentes, legem poſuimus, quam primo quidem in Thraciam, & in omnes ejus provincias, in præſenti autem & in Illyricanas provincias direximus. Cujus exemplum ſubdi etiam præſenti legi præcepimus, ut non ſolummodo privati homines putent legem contra ſe eſſe propoſitam, ſed etiam milites altiore nitentes faſtigio, legem contra ſe eſſe prolatam exiſtiment. Ut ergo & tua magnitudo ſciat, quod communis hæc lex poſita eſt, & provincialibus & militibus, & omni cingulo, nulla excuſatione cuiquam competente, ideo ad tuam ſublimitatem præſentem legem deſtinavimus, ſcituris militibus, qui præſenti legi non eſſe obediendum exiſtimant, quod cingulo denudati inter privatos habebuntur, pœnis quas in anteriori lege poſuimus, prius nihilominus ſubjugandi.

TIT. XIII.
NE[2] QUIS QUOD AGRICOLÆ MUTUAM PECUNIAM DEDIT, ILLIUS TERRAM DETINEAT, ET QUEM USURARUM MODUM CREDITORES ACCIPERE DEBENT AB AGRICOLIS.
NOVELLA CONSTIT. XXXIV.
Idem Auguſt. Agerochio clariſſ. præſidi Æmi montis in Thracia.
PRÆFATIO.

REm duram atque inhumanam, & quæ ultra omnem impietatem & avaritiam ſit, perſpeximus lege ſaluberrima ſanare, & communem omnibus deponere medicinam, non tantum in præſentis neceſſitatis tempore, ſed etiam in omni ævo futuro. Venit enim ad noſtras aures, quoſdam in [3] ea ipſa provincia quam tu adminiſtras, avare temporum neceſſitate captata, fœneratorios feciſſe contractus, & paucam menſuram dantes, terrulas eorum abſtraxiſſe, & ex hac cauſa quoſdam colonorum fugæ latebras petiiſſe, alios fame eſſe necatos, & triſtiſſimam peſtem homines invaſiſſe, incurſione barbarica non minorem.

CAP. I.

SAncimus itaque omnes hujuſmodi creditores, quantumcunque vel tritici vel hordei, vel in alia ſpecie quæ in fructibus aridis [4] eſt, dederint: hoc reddito, in præſenti cum parte modii octava per ſingulos modios in unoquoque anno præſtanda terrulas colonis reſtituere: nemine penitus eorum audente terrulas detinere ſub occaſione fœneratitiæ cautionis, ſive in ſcriptis, ſive ſine ſcriptis credita ſint contracta. Sin autem pecunias dedit, nihil amplius quam ſiliquam unam pro ſingulo ſolido annuam præſtare. Et hanc ſaluberrimam legem in omnes extendimus, in præſenti quidem tempore initium accipientem, in omne autem ævum modis omnibus obſervandam, ut ſi quando fuerit vel triticum, vel hordeum fœneratum, vel alii aridi fructus, creditores tam quod dederunt accipientes, quam pro uſuris octavam modii partem annuam pro ſingulis modiis, vel ſiliquam pro ſingulo ſolido, ſecundum hunc modum in quantum fœnus permanſerit, percipientes, ſive terrulas ſive aliud in pignus acceperunt, boves forte, vel pecora, vel mancipia: hæc modis omnibus reddant, & hæc lex communis omnibus ſit, humanitate & pietate gaudens, neque non omnibus egenis conſulens, & creditoribus mediocre ſolatium afferens.

EPILOGUS.

† Hæc igitur, quæ a nobis ſtatuta ſunt, claritas tua in omni provincia, quæ tuo moderamine gubernatur, obſervare feſtinet. Scituris omnibus creditoribus, quod ſi aliquid præter hoc commiſerint: exactione cadent: & cui fœnus ablatum eſt, hoc habebit ſolatium, ut ipſe quidem ſecurus degat, avarum autem creditorem videat in ſuis pecuniis patientem jacturam.

TIT. XIV.
DE[5] ADJUTORIBUS[6] QUÆSTORIS[7].
NOVELLA CONSTIT. XXXV.
Hæc prorſus deeſt in Græc. juſtam autem epitomen inveni in Novellis Juliani, quam hic adſcripſi.

VIginti ſex [8] adjutoribus Quæſtoris, quos boëthos dicunt Quæſtoris, liceat in ſuo loco alios ſubſtituere, idoneos tamen, & quos pro tempore Quæſtor elegerit, propoſitis ſacris evangeliis. Hi [9] autem qui fiunt in locum eorum qui ſuo loco ceciderunt, centum ſolidis præſtitis [10] fiant. Iſtorum autem trium graduum viri, id eſt, ſcrinii memoriæ, & duorum qui proximi futuri ſunt, quamvis non ex viginti ſex adjutoribus, tamen licentiam habeant ſurrogare in locum ſuum. Habeant igitur jus vendendi [11] militiam ſuam, & non ultra [12] centum ſolidos, dummodo & is qui ſubrogatur, electione Quæſtoris fiat. Prærogativas autem conſtitutio dat Theodoſio, & Epicteto, & Quirillo & Sabbatio, & Perigeno. Illo videlicet obſervando, ut ſi quis ex viginti ſex adjutoribus defunctus fuerit, ab herede ejus centum ſolidi dentur, & electione Quæſtoris militet. Sin autem liberi ſint defuncti, idem juris habeant, quamvis heredes parenti ſuo non extiterint [13]. Dat. C. BELIS.

TIT. XV.
DE SUCCESSORIBUS EORUM QUI IN AFRICA DEGUNT.
NOVELLA CONSTIT. XXXVI.

OMne infinitum, &c. Ut Afri ea quæ Vandalorum temporibus vel ipſis, vel propriis parentibus, vel avis utriusque ſexus, vel ex transverſo cognatis usque ad [14] tertium gradum erepta ſunt: intra quinque annorum ſpatium vindicent, niſi [15] legitimis excludantur præſcriptionibus. 2. Ut ad comprobandum genus ambæ [16] partes probationes proferant. 3. Ut omnes Afri [17] Romanis legibus ſubditi ſint.

TIT. XVI.
DE ECCLESIIS CONSTITUTIS IN AFRICA.
NOVELLA CONSTIT. XXXVII.

VEnerabilem eccleſiam &c. Ab Arianis ablata capiunto, ſibique habento eccleſiæ Africæ: ut tamen publicas pro illis penſiones [18] conferant, ab iisdem acceptis immobilibus a nemine lædendis. Hæreticus non [19] baptizato, ad [20] rempubl. non accedito, catechumenum [21] non circumcidito [22]. Nulla omnino hæreſis domum [23] aut locum orationis habeto. Carthaginienſis [24] Eccleſia privilegia obtineto, quæ in univerſum de omnibus [25] dicta ſunt Eccleſiis in Codice. Qui ad Carthaginienſem Eccleſiam confugerit, is impunitatem habeto, niſi [26] homicidium, aut raptum virginis, aut vim in Chriſtianum admiſerit. Eccleſiis Africæ ab aliquo pro ſua ipſius ſalute oblata, a nemine prorſus auferuntor. Hoc ipſo generaliter de omnibus Eccleſiis accipito.

TIT. XVII.
DE DECURIONIBUS[27] ET FILIIS EORUM.
NOVELLA CONSTIT. XXXVIII.
Imperator Juſtin. Auguſt. Joanni P. P. per Orientem.
PRÆFATIO.

QUi rempublicam olim nobis diſpoſuerunt, exiſtimaverunt oportere ſecundum regiæ [28] urbis inſtar adunare in unoquaque civitate nobiles viros, & unicuique [29] Senatus dare curiam, per quam debuiſſent agi, quæ [30] publica ſunt, atque omnia fieri ſecundum ordinem. Sic itaque res floruit, ſic [illegible] ut magnæ & populoſæ domus curialium eſſent, multitudine quidem exiſtente curialium, quod autem functionem videbatur eſſe onus, nullo omnino intolerabile exiſtebat. Nam quod in multitudinem divideretur, onus inſenſibile propemodum faciebat eis, qui hoc ſuſciperent. Quando autem per [31] partes quidem cœperunt ſe eximere albo Curiæ, & occaſiones invenire per quas liberi [32] his efficerentur, ſic paulatim diminutæ ſunt curiæ innumeris excogitatis occaſionibus, per quæ potuiſſent ſpecialia quidem bene habere, communia autem & publica diminui. Propterea ad paucos viros redactæ functiones, & illis facultates commoverentur, & civitates ita diminutæ ſunt, ut ſub iſtos perditos conductores, quos *Vindices* [33] vocant, redacta curia, contigerit reſpublicas, plena quidem defectibus, plena vero omni injuſtitia fieret. §. 1. Hæc nos ſæpe perſcrutantes æſtimavimus oportere mederi rei adhibere, & quantum [34] nos in hoc laboramus, tantum omnem adinveniunt curiales artem adverſus quæ recte juſteque ſancita ſunt, & contra ſe ipſos. Dum enim voluiſſent compelli ſe omnimodo curiæ ſervare [35] quartam partem, & hoc vix per noſtras leges impoſitum, cœperunt diſcerpere propriæ facultates, quatenus minus idonei deficerent, & non quartam portionem, ſed omnem continuo paupertatem [36] ſuam curiæ derelinquerent. Denique quoniam ipſis corporibus fraudare curiam voluerunt, rem omnium impiam adinvenerunt, a [37] nuptiis legitimis abſtinentes, ut eligerent magis ſine filiis, quam ſub lege deficere, aut generi ſuo vel curiæ inutiles [38] apparere. Et rurſus egerunt dudum poni legem, quæ præter decretum jubebat eis donare [39] propria, cum quandam venditionem cum decreto fieri ad eam lex volebat, ſed hæc ipſa erat mirabilis [40] quæ ſolam venditionem ſubjiciebat adjectioni decreti & aliis exinde neceſſitatibus, alia vero omnia derelin-

1 Illyricanis ſcil. adde *Nov.* 32. *ſupr.* & *Novell.* 34. *infr. hic.*

2 Hæc conſtitutio exemplum eſt Latinum *Novell.* 32. *ſ. hic.* Goth. De Uſuris Ruſticanis & ad hanc *Novell.* vide Hottoman. *lib.* 2. *obſ. cap.* 9. Anſ. 3 In Myſia ſecunda, & in provincia, quam tu adminiſtras &c. Cujac. hic ita legendum eſſe monet. 4 Aridi fructus, quibus opponuntur liquidi, dixi ad *l. ult. ff. de jur. fiſc. l. ult. Cod. de ſervit. & aqua. l.* 12. *l.* 23. *C. de uſur.* Græci fructus aridos ξηρὸς καρπὸς, inde ξηροφαγίαι Tertull. adverſus Pſychicos: Arguunt nos quod xerophagias obſervemus, ſiccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia & viridioribus quibusque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus vel potemus, lavari quoque abſtinentiam congruentem arido victui.
5 Exſtat hæc conſtitutio plenior apud Julianum. 6 Vide conſtitutionem Juliani 26. 7 Quæſtor hodie Cancellarius. 8 *l.* 13. *l. ult. Cod. de prox. ſacr. ſcrin.* Ex ſcrinio ſc. memoriæ 12. ex ſcrinio epiſtolarum 7. ex ſcrinio libellorum 7. 9 Id eſt, ſucceſſores. 10 Pro introitu ſc. vid. *l. ult. C. de pignorib.* 11 Militiæ transferuntur in heredes ſub certa pretii definitione, *d. l. ult.* 12 Pretium militiæ centum aurei. 13 Quid ſi heredes non ſint idonei militiæ? ſubrogandi ſunt alii in locum defuncti, & ſuperior ſumma heredibus defuncti præſtanda, *l.* 30. *C. de inoff. teſt. l.* 7. *l.* 11. *C. de prox. ſacr. ſcrin.* quæ præſtatio dicitur ſcholæ placitum, *l. ult. Cod. de pignorib.* & caſus militiæ, *Nov.* 53. *cap.* 5. & 97. *cap.* 4.
14 Erepta a Vandalis (dic idem in aliis hoſtibus) veterum poſſeſſorum heredes usque ad tertium gradum vindicare poterunt: intra quinquennium tamen ab hac conſtitutione: non tamen adverſus eos, qui bona jam 30. annis præſcripſerunt. Hac æquitate poſſumus hodie uti, recuperatis urbibus aut provinciis ex hoſtium manu. *Goth.* Vide *l.* 1. *C. de offic. præf. præt. Afric.* & Rittershuſ. *part.* 14. *cap.* 3. Anſ. 15 Hoc fuit etiam conſtitutum pulſis Italia Gothis. vid. *pragmaticam ſanctionem Juſtiniani c.* 5. & 2. & 6. J. 16 *l.* 1. *ff. de prob.* 17 Idem adverſus Gothos ſtatutum, *d. pragmatica c.* 11.
18 Eccleſiæ non fuerunt immunes a publicis collationibus. vid. *l.* 7. *l.* 11. *C. de ſacr. Eccl.* 19 *l.* 14. *C. de hæret.* 20 Vide *l.* 15. *C. de epiſc. aud. l. ult. C. de poſtulando: l.* 9. *C. de diverſ. off.* 21 Catechumenus leviter initiatus Chriſto. κατηχούμενοι, νεοκατηχοί: Clemens γαλακτοφάγους, Paulus νηπίους πίστεως vocat. adde 1. *Cor.* 3. vid. *Nov. Leon.* 55. 22 Vide quæ dixi ad *l.* 11. *ff. ad l. Corn. de ſicar.* 23 *l.* 3. *C. de hæret.* 24 Vide *Nov.* 131. *cap.* 4. 25 *l.* 12. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Theſſalonicenſi, *l.* 8. Conſtantinopolitana, *l.* 17. *l.* 24. *Cod. de ſacroſanct. eccleſ.* Romana, *l.* 8. *C. de ſumma trinitate.* An etiam ratione patriarchæ? vide *Nov.* 131. *c.* 4. J. 26 Vide quæ notavi ad *l.* 5. §. 4. *C. de his qui ad Eccleſ.* hinc conſtat, non ſervari jus aſyli homicidis, raptoribus, & ſimilibus perſonis.
27 Dixi ad *L.* 50. *D.* 2. De decurionibus & eorum filiis, Jul. *hic conſt.* 35. περὶ βουλευτῶν ὥστε ἐννεαούγκιον καταλιμπάνειν τοῖς ἑαυτῶν βουλευταῖς παισί. id eſt, de decurionibus, ut filiis ſuis decurionibus dodrantem (id eſt, 9. uncias) relinquant. 28 In urbibus regiis Senatores ſunt. 29 Decuriones, Senatores minorum civitatum. 30 Nota quæ olim gererentur per decuriones. 31 Id eſt, temporis progreſſu. 32 Id eſt, immunes, certæ namque dignitates excuſant a decurionatu: qua de re vide *l. ult. Cod. de decur. Nov.* 20. 81. 33 *Nov.* 128. *c.* 5. 34 Calumniantium hæ ſunt iniquitates, quarum meminit Juſtinianus *proœmio Inſtitutionum.* 35 Decuriones olim cogebantur ab inteſtato curiæ relinquere quartam partem bonorum, quod ut eluderent vivi, bona pene omnia dilapidabant: e contrario ut ſpecie tenus legi ſatisfacere viderentur, quicquid ex ſuis bonis ſupererat, Curiæ relinquebant. 36 Paupertatem ſuam relinquere, id eſt, bona exigua: vide *l.* 78. §. 12. *ff. ad SC. Treb.* 37 Cœlibes non ſic admittebantur ad decurionatum ut conjuges. 38 Legendum videtur, *Utiles.* 39 Senſus eſt: Olim decuriones poterant donare ſua prædia ſine decreto: non etiam vendere, *l.* 3. *C. de præd. decur.* 40 Permittit enim donationem, vetat venditionem, ſed tamen id admiſſum fuit, quia faciliores ſumus ad vendendum, quam donandum.

quebat eis agere, ſecundum quem voluiſſent modum: hac tranſtulerunt curialium facultates ad alias & alias perſonas nihil exinde habente curia. Denique ſi quis dinumerat noſtræ reipubl. curias, attenuatas inveniet virorum, neque alias quidem, neque rerum copias habentes, aut paucorum forſan hominum, rerum autem nihil penitus. §. 2. Igitur olim per partes nos protulimus ſanctiones [1], volentes & venditiones & donationes ſimplices [2] & omnem actum alienationem habentem immobilium curialium rerum, ſubjacere decreto, cum obſervatione facta quæ in illa lege poſita eſt. Deinde poſt hæc quia ſub falſas [3] cauſas faciebant donationes, & hoc omnino abrogavimus, donationem ſimplicem [4] facere curialem in quacunque perſona, excepimus autem competenter ante nuptias donationes, eo quod neque [5] donationes omnino ſunt, ſed contractus ſpecies in eis inſerta eſt, & filiorum procreandorum copiam introducunt, quod nobis & maxime in curialibus ſtudii eſt, poſt hæc conſpicientes de hoc ipſo multas circumſcriptiones fieri, legem conſcripſimus, omnino debere curiam ſive cum corpore, ſive ſine ipſo, omnino tres [6] uncias habere, & non minus licere cuidam relinquere curiæ, neque circumſcribere, neque diminuere eas ſub ullo modo, ſive [7] filius ſit, qui in curia eſt, ſive ipſa ſuſcepit tres uncias curia. §. 3. Et non usque ad hoc ſtetimus, ſed & fœminas in propria inſtitutione dare quandam partem ſanximus, quatenus per nullam occaſionem diminueretur curiæ (ſicut prædiximus) quarta pars totius ſubſtantiæ curialis. Sed & multas iſtas & diffuſas munificentias abrogavimus non concedentes liberari aliter curia, niſi per [8] maximarum dignitatum acceptionem, patriciatus, aut conſulatus, aut præfecturæ, ſive civilis, ſive militaris: præfecturas autem eſſe & eas quæ principatum agunt exercitus, lex novit [9]. itaque ſi quis præfecturæ dignitatem adminiſtraverit, in ipſo actu conſtitutus, & ſive adminiſtrans eam, ſive principatum agens exercitus, curiali iſte liberatur a conditione ſecundum noſtram legem aliis omnibus exceptionibus abrogatis. Nam quæ propter ſolum honorem [10] dantur tales dignitates, (præfectorias dicimus, idem autem eſt dicere & magiſtro militatus) non eximere curiæ albo eos qui hæc meruerunt, ſancimus. Hæc itaque in anterioribus a nobis ſancita ſunt, cum aliis multis quæ licebit ex ipſis olim poſitis legibus advertere, abſolvimus autem & quoſdam a curiæ conditione diverſas his pragmaticas concedentes leges, quas omnes firmas eſſe volumus, & præſentem ſanctionem ab undecima indictione nuper delapſa inchoare, ex qua nobis in conſilio venit hæc lex. §. 4. Quoniam autem vidimus quoſdam ſic adverſos eſſe contra proprias patrias, ut eligant potius aliis ſuas relinquere ſubſtantias, & vix quartam partem curiæ: & hoc per noſtram legem exiſtimavimus oportere, ubi filii deſunt, hanc partem augere.

CAP. I.

SI [11] igitur poſt hanc noſtram legem defunctus fuerit curialis filios non habens neque maſculos neque fœminas, iſte propriam ſubſtantiam curiæ derelinquat, quartam vero quibus voluerit, erit namque ei pro [12] filio forſan uno vel pro plurimis tota curia, id eſt & totius civitatis plenitudo in filiorum modo exiſtens, & fama bona perpetua, & immortalis memoria, & fructus tantus quantus nequaquam a filiis eſſet. Quod ſi quis legitimos filios non habuerit, naturales [13] autem ei fuerint, liceat cum onere curiæ ſcribere ſibi hos heredes, & ſcriptura pro omni datione ſit, & non indigeat antiquarum legum aut aliis adjectionibus, neque dum adhuc ſuperſtes eſt datione, ſed mox ſcripti, ſi quidem liberi fuerint, curiales & heredes efficiantur, & habeant ipſi novem uncias ſubſtantiæ, ſecundum quod pater eis diviſerit, quod ſi omnia eis relinquere voluerit, adhuc melius faciet, verumtamen usque ad novem uncias modis omnibus eis relinquat, cognoſcens quia vel ſi reliquerit minus, a lege eis omnino usque ad novem uncias ſupplenda [14] erit ſubſtantia: illi vero ſi quidem deſideraverint, [ſubſtantiam accipere] & curiales efficiantur: quod ſi quidam voluerint, quidam autem recuſaverint, ad eos qui elegerint, recuſantium veniant [15] partes, quod ſi omnes recuſaverint, tunc tanquam ſi nullus filius ſit, taliter ad curiam veniant omnes novem unciæ.

CAP. II.

QUod ſi ille quidem tacuerit [16], filiorum autem legitimorum ei procreatio non fuerit: tunc quarta pars [17] ad heredes, qui [18] ſine ſcriptura ſunt, veniant: naturales autem filii, ſi voluerint ſe offerre curiæ, recipiantur, ſecundum quod voluerint, ſive omnes ſive quidam ex eis, modis omnibus novem unciis ſubſtantiæ ad eum qui curiæ ſe dedit, devolutis. Quod ſi ex ancilla [19] ei progeniti fuerint, deinde ipſe eos manumiſerit, aut dum ſupereſt [20], aut in teſtamento, & obtulerit eos, & iſti ſuſcipiantur & ſint curiales, ſecundum quod teſtator voluerit, aut ſecundum quod deſiderium eorum fecerit, dantium ſe curiæ, accepturi, ſecundum quod dictum eſt, novem uncias. Ubique enim volumus ſive teſtatus fuerit, ſive inteſtatus deceſſerit, eos qui ad curiam venerunt, novem [21] uncias accipere, quod ſi manumiſerit quidem tantummodo, non tamen obtulerit, illi autem etiam taliter voluerunt, aut unus aut quidam ex eis ad curiam venire, & tunc novem unciæ ei vel eis, qui in curia ſunt, ſecundum virilem partem dentur. Quod ſi nullus naturalium voluerit, aut datus non fuerit, tunc [22] novem uncias curia percipiat.

CAP. III.

QUod ſi legitimorum filiorum fuerit pater, tunc res decernenda eſt, utrum tantummodo maſculi aut tantummodo fœminæ, aut certe permixti ſexus ſint, quatenus lex undique perfectionem habeat & curiæ utilitatem. Si [23] ergo maſculi ei tantummodo fuerint filii, vel forſan nepotes maſculi ex prædefuncto filio, novem [24] uncias in omnes filios ſicut [25] voluerit dividat, ſic tamen ut in nullo diminuatur lex quæ de inofficioſis legitur teſtamentis, niſi [26] forte ingratitudinis modus hoc fecerit: neque enim quæ in his poſitæ ſunt leges omnino deſtruimus, illo omnimodo cuſtodito, ut novem unciæ inter non ingratos filios dividantur, & ſecundum hoc unusquisque ſubeat curiæ paternæ functionem, ſecundum quod eis pater diviſerit ſubſtantiam, tribus unciis tantummodo paternæ derelictis voluntati, ubi eas pervenire voluerit ſive ad filios ſive ad alium.

CAP. IV.

QUod ſi omnes fœminæ nuptæ fuerint, ſiquidem ejusdem civitatis [27] curialibus nuptæ fuerint, licentia erit patri, ſi quidem nuptæ fuerint (ſicut dictum eſt) curialibus, dividere inter eas omnem ſubſtantiam, aut certe novem uncias ſecundum quod voluerit, reſpiciens & hic legem quæ de ſucceſſionibus ſine ſcriptura diſpoſuit. Quod ſi quædam ex eis nuptæ ſunt curialibus, quædam [28] vero non his, talibus [29] quidem novem unciæ omnimodo relinquantur a patre curialium uxoribus [30] diviſæ & hic [31] ſecundum quod pater voluerit: reſiduum [32] autem his quæ non curialibus propriæ patriæ nuptæ ſunt, vel certe aliis, proculdubio legitima [33] portione & eis omnino reſervatis. Quod ſi [34] necdum nuptæ ſint, tunc ſub tali definitione [35] ſcribendum eſt, de his aut quandam aut quaſdam ex eis in novem uncias eſſe heredes, quatenus omnimodo nubant ejusdem civitatis curialibus. Quod ſi hoc noluerint, aut ipſe quidem ſcripſerit, illæ vero non pertulerint, novem unciæ quidem ad curiam civitatis veniant, tres autem unciæ tantummodo inter omnes ſecundum quod lex vult, dividentur in modum deductis in rationem etiam dotibus earum.

CAP. [36] V.

QUod ſi maſculi [37] & fœminæ fuerint, maſculi quidem omnimodo ſubſtantiæ mediam habeant portionem: fœminæ vero reſiduam mediam, non integram quidem: dabunt namque ipſæ quartam partem curialibus fratribus, ſi tamen non fuerint curialium uxores omnes aut quædam ex eis: quod ſi ad tales pervenerint nuptias, & curialibus propriæ patriæ fuerint ſociatæ: tunc liberabuntur a quarta parte, curiæ danda, utpote quæ videantur & ipſæ per viros ſuos, donec ſuperſunt, eſſe participes functionum. Hæc nos ſancire oportere exiſtimavimus, non quo auferamus hominibus propriarum rerum diſpenſationem: ſed ut civitatum non integre deſolatæ curiæ remanerent, neque adinventionibus quibusdam forſan & impiis diminuerentur curiæ. Denique cognovimus quoſdam interdictas lege contrahere nuptias, ut ex hoc non legitimi ſed naturales filii procreentur, & ipſis revera utpote extraneis, relinquere, & ſic defraudare curiam debita facultate.

CAP. [38] VI.

SEd & illud etiam ex ipſo reperimus experimento, quod adverſus curiam ſint multi quaſi dicentes [39], aut [40] ſacri ærarii [41] aut vicaneæ [42], aut purpurariæ [43], aut alterius cujuscunque conditionis eſſe alterum parentum curialis: & tentant adjudicare ſeipſos vel ſacri ærarii, vel vicaneæ, vel purpurariæ, aut aliis quibuscunque conditionibus & curiam evitare. Sancimus itaque nullam eſſe talem artem [44] adverſus publicum. Sed omnino ſive ex [45] ſacri ærarii matre, ſive ex purpuraria, ſive ex vicanea nati fuerint filii curiali, curialem conditionem obtinere volumus. Curiales enim pauciores ſunt ubique locorum noſtræ reipublicæ: ſacri vero [46] ærarii & vicanei & purpurarii in multitudinem effuſi, conſtituti ſunt: & congruens eſt magis amplificare curias civitatum in paucis corporibus anguſtatas, quam multitudinem multitudini adjicere. Quod ſi quidam nomine propriæ matris tanquam ſacri ærarii vel purpurariæ aut vicaneæ conditionis ſit, ſe ſubtrahere a curiæ conditione tentaverunt, vel tentaverint, a nuper præterita *Decima indictione* & ipſa & ea quæ ſecundum hunc acta ſunt modum, ſive a noſtra aula, ſive aliunde, vacua & invalida ſint, & hos tales curiales de cætero eſſe ſancimus: nam ſi quid actum eſt ante decimam indictionem, hoc firmum & in ſua fortitudine permanere volumus.

EXCEPTIO.

† Excipimus [47] autem ab hac noſtra divina conſtitutione Theodoſium & ejus fratres, & filios Joannis qui cognomen habuit Xeſcon [48]: qui in [49] ſacri ærarii conditione permanſerunt, licet de curialibus eſſent

1 *l.* 4. *Cod. de præd. decur.* intelligit, quæ tamen illo titulo deeſt. 2 Id eſt, mera Donatio propter nuptias & dos, non ſunt donationes ſimplices: permittuntur enim conſtante matrimonio, *l. ult. C. de ſec. nupt.* Simplici donationi non ineſt contractus: propter nuptias ineſt. 3 In fraudem legum ſcil. 4 Decurio immobilia donare non poteſt, niſi propter nuptias vel dotis cauſa. 5 Donatio, propter nuptias, eſt contractus. 6 Decurio tres uncias olim cogebatur curiæ relinquere. 7 Et ita abrogatur *l.* 2. *Cod. quando & quib. quarta pars.* 8 Dignitates quædam liberant a Curia, *ut hic.* adde *l. ult. Cod. de decur.* 9 Ὁ νόμος ἐπίσταται, id eſt, ſcit: *ut in l.* 98. *in fin. ff. de ſolutionibus.* 10 Honorariæ dignitates (quaſi fictæ) non liberant a Curia. 11 Curialis moriens ſine liberis legitimis, novem uncias curiæ cogitur relinquere: tres vero reliquas uncias, cui voluerit donare poteſt. 12 Curiali ſine liberis mortuo, Curia filii loco eſt. 13 Puta ex concubinatu. Jul. *hic.* Decurio liberis naturalibus (non extantibus legitimis) dodrantem poteſt relinquere, qui alias a parente non decurione non perciperent, niſi ſextantem. *Novell.* 18. 14 Naturali filio datur actio ad ſupplementum legitimæ. 15 Quod decreſcit heredibus non adeuntibus, in dubio coheredibus adeuntibus adereſcit. 16 Id eſt, teſtamentum non fecerit. Jul. *cap.* 131. ſi inteſtatus deceſſerit. 17 Id eſt, tres unciæ. 18 Id eſt, heredes ab inteſtato. 19 Naturalis filius ex ancilla procreatus teſtamento poteſt legitimari, & heres inſtitui, & ita videtur abrogata lex 29. *C. de decur.* 20 Id eſt, dum vivit. 21 Legitima curialium liberorum, novem unciæ. 22 Naturalibus filiis decurionum non adeuntibus patris hereditatem, hereditas ad Curiam devolvitur. 23 Julianus *cap.* 132. 24 Olim quartam. *l.* 3. *C. quando & quibus quarta pars.* 25 Decurio minus liberam teſtandi poteſtatem habet, quam cæteri: idque non favore ſolo liberorum, ſed liberorum Curiæ obnoxiorum; cogitur enim eis relinquere novem uncias. In tribus reliquis poteſtatem teſtandi habet ac donandi. 26 Poſſunt enim ingrati liberi exheredari. 27 De filiabus decurionum. Jul. *cap.* 133. 28 Non omnes filiæ decurionum nuptæ decurionibus fruuntur privilegio: ſed quæ nuptæ ſunt decurionibus ſuæ patriæ. 29 Filiæ decurionum nuptæ Curiali, fruuntur eodem privilegio, quo liberi maſculi decurionum. utrorumque legitima eſt novem unciarum. 30 Id eſt, iis, quæ maritos habent. 31 Διαιρούμενον κἂν ταῦτα καθάπερ ἂν ὁ πατὴρ βουληθείη. Senſus eſt: Novem uncias filiabus omnibus uxoribus decurionum parentem cogi relinquere; ſed tamen eum poſſe, inter easdem novem illas uncias ex animi ſui ſententia dividere, id eſt plus uni, alteri minus conferre. 32 Id eſt, tres unciæ. 33 Perplexa eſt meo judicio hæc ſucceſſio: nam cum reſtent hic tres tantum unciæ ſubſtantiæ paternæ, quomodo Novella de triente & ſemiſſe pertinebit ad filias decurionum non nuptas curialibus ſuæ patriæ *Novell.* 18. Quin ſi ita ſit, adhuc reſtat hoc perplexum, an parens ex tribus illis unciis aliquid delibare poſſit legati, fideicommiſſi, vel inſtitutionis nomine, quod ſi non licet, jam adimetur decurioni integra teſtandi facultas. 34 Propter nuptias nondum contractas, jus filiarum decurionis manet ſuſpenſum. 35 Conditione. 36 De liberis utriusque ſexus decurionum. 37 Inter fratres curiales, & ſorores curialibus ſuæ patriæ nuptas, novem unciæ pro dimidia parte dividuntur. Inter eosdem fratres & ſorores nuptas non curialibus non pro dimidia, ſed inæquali portione: fratribus 9. ſcil. unciis, ſororibus, 3. relictis unciis. 38 Ut ex curiali patre & murilegula vel comitica matre curialis filius naſcatur. Jul. *cap.* 155. 39 Η ταμειακῆς. 40 Tamiacæ vel murilegulæ vel comiticæ conditionis meminit Julianus *d. c.* 13. quod idem atque hic plane. Nam qui hic ſacri ærarii dicuntur, Tamiaci Græco exemplari dicuntur: qui vicaneæ, comiticæ: qui purpurariæ conditionis, κογχυλευτικοί, qui & murileguli. 41 Senſus eſt, Ex curiali, & tamiaca, vel murilegula, vel vicanea natos, patrem ſequi: & ita abrogatur *l.* 29. *C. de decurionib. l.* 12. *C. de murileg.* 42 Η κωμητικῆς &c. *Scrimg.* aut comiticæ, *Jul.* id eſt, dicente quod Tamiacæ, comiticæ aut murilegulæ conditionis fuerit alteruter parentum. κωμητικοὶ, hic non ſunt comitiani, id eſt, officiales comitum privatorum, vel largitionum, vel domorum, ut vult Hal. ſed κωμῆται, *infr. eod.* vicani, ut *Nov.* 52. *c.* 1. & capitationi ſubjecti. 43 Sed murilegulæ κογχυλευτικῆς. 44 Τέχνην. Ars nulla adverſus publicum. 45 Ἐκ ταμειακῆς μητρός. *Scrimg.* 46 Ταμειακοί. 47 Solent imperatores nonnunquam excipere quaſdam perſonas a lege generali, *ut hic:* & *l.* 42. §. 3. *C. de epiſc.* 48 Ξίσκων. *Scrimg.* Xiſco *Julian.* 49 Εἰς ταμειακήν.